

A. Aldus verthoont hem tlandt ontrent Capo de S. Vincente, comēde wth den Noorden en daer beneffens *Zeylen*.
Terra facies circa Promontorium S. Vincentij, adnavigantibus e Septentrione, et praeternavigantibus.

Blauweberch

Salines

C. de S. Vincente.

Cartaja.

EL CON
DADO.

S. Miguel.

Lucas Joēs aurigarus, Inuentor.
Ioannes à Doctecum fecit.

Salines.

Beschrijvinghe der Zee Custen vant Landt vā
Algarve. En tē deel vande Condado. Soe hem tlandt
aldaer verthoont en in ghedaente en wesen is.
Algarbe ora maritima, et partis Condadae accurata
descriptio, ac facies navigantibus apparens.

Joēs à Doctecum F.

Aliamur.

REINO DO ALGARVE

Tauilas.

Castromarin.

Molinas

Villa
noua.

Alaguas



Faraon

Fera gudo

Pera

Ongheberch.

Ongheberch

Lagos

Sogres

S. Vincente.

Bon puerto

C. de S. Vincente

C. de S.

Maria

DE GROETE ZEE OCEANVS



Hispanica. 1. Spaensche mijlen tot 17 1/2. in een graedt.
2. 3. 4. 5. 6.
Duytsche mijlen tot 15. in een graedt.
Miliaria Germanica 15. hng. grad. compet.

ALGARBIÆ DESCRPTIO.

Algarbia, ex 14. Hispaniæ regnis est, Lusitaniæ regno vnita: minus tamen, quam vlla ex Hispaniæ prouincijs, celebris. Sita est ad Australem Lusitaniæ partem, se extendens versus Borrhapeliotem, in Cōdadam. Fuit olim hæc regio pars Gallaciæ, quam Castellæ Rex, Alphonfus eius nominis sextus, Tiresiæ filiæ eius nothæ, in dotem dedit, cum ipsam despōsaret Henrico Lusitaniæ Comiti, patri Alphonfi, Lusitaniæ & Algarbiæ Regis primi. Mansitque semper Lusitaniæ vnita, sub vnus & eiusdem Regis regimine. Cum autem quæcunque regna vicissitudini sunt obnoxia, & mox vnum, mox alterum superemineat aut iaceat, tandem hæc regna Hispaniarum subiere iugum, & Castellæ regno sunt vnita. Anno enim salutis 1580. Philippus, Hispaniarum Rex potentissimus, vi bellica regna hæc occupauit, & D. Antonium, qui ab incolis ad regnum vocatus erat, expulit. In hanc Algarbiæ regionem Ana fluuius, ex superioribus Hispaniæ partibus, secundo amne vna aduehuntur Hispanica, vulgò, Secke, Bastart, & Romenic dicta; simul & Oleum, Suber, Ficus, Vuæ passæ, alijque fructus, quibus naues onerantur Belgicæ. Secus hunc amnem vberimus & fertilissimus est ager, eorum fructuum quos Hispania profert, feracissimus. Ad Orientem fluuij sita est Vandalia siue Betica: quare dicti iam fructus, non ex sola Algarbia, sed pro maiori parte ex Vandalia, & Hispania in Belgiam transfuehuntur. Ana fluuius suos fontes habet in Castella noua, qui ad Castra Vitelliana, vulgò Medelmo, terra absorbetur, iterumque circa Villartam emergit, & Algarbiam perluens, tandem Castromarinum inter & Ayamontem in Oceanum se exonerat. Vindemiæ tempore, vigent in ea regione commercia, plurimæque naues prædictis onerantur fructibus, qui ad alias transfuehuntur regiones.

Henricus Infans Portugaliæ & Algarbiæ, Ioannis Nothi, decimi Lusitaniæ, Regis filius natus minimus, Mathematicarum artium fuit peritissimus: qui Astronomiæ exercendæ causa, cælebs mansit, & vitam in Sacro Promontorio egit, eò quod in ipso coelum raro sit turbidum. Est is Henricus, vir magnanimus, qui primus nostro ferè æuo tentauit nauigare ad terras incognitas, primumque in insulam Maderã appulit, quæ ferè tota iacebat inculta, etiam cum haberet fundum, omnibus ferendis fructibus, maximè Saccharo, aptum: quod interim eo in loco plantatum, sua bonitate, quodcunque Europa producit, superat. Is Madera soluens, ad Canarias siue Insulas fortunatas venit; ac inde Australem circumnauigans plagam, hoc est, Aphricam ipsam, plurima animaduertit admiranda. Obijt anno salutis 1460. Elapsis post hæc aliquot annis, Rex Emanuel instructa classe, anno sesquimillesimo, vnâ eius partem emisit in Occidentem, alteram ad Austrum, residuamque in Orientem: explorauitque hac nauigatione res inauditas. Viam adinuenit marinam ad nouum & incognitum orbem, quem nouas vocant insulas: inuenit & aliam nauigabilem viam ab Occasu in Ortum, per quam Lusitania nauigatur in Indiam, vnde variæ adferuntur species aromaticæ, vt in præcedenti descriptione declaratur.

ORAE MARITIMAE ALGARBIÆ, PARTIS LVSI- TANIÆ AVSTRALIORIS, EXACTA DESCRPTIO.

AD Promontorium Sacrum, vulgò Cabo de S. Vincent, tuta est nauium statio; furente siue flante Borea & Borrholibyco. Miliarijs duobus à Lanis ingens est saxum cæcum: & magno inde miliario ad Austrum, Villa noua: eò qui vult nauigare, sic ponat malum & turrim, quæ in litore Orientali, vt mutuo se tegant, faciatque vela secus litus Orientale, donec superauerit turrim: tum ad Boream declinet in ciuitatem Villæ nouæ; vbi puluinus ingens in parte Australi. In ostij ingressu, mediò maris æstu, binarum tantummodo orgyiarum est altitudo, qui ad partem Borealem scopulosior. Miliarijs ferè sex ad Ortum, est ciuitas Faro, vbi pharus in litore, & lingula ab angulo excurrrens, quæ fugienda est. Intronauigatur à parte Orientis, turrim ad læuam relinquendo, & Tauilæ litus ad dexteram. Miliarijs quatuor ad Boream Faro, Balsa est, vulgò Tauile, ostium habens vadosum, quod litoralibus, alijsue signis muniendum, priusquam intronauigetur: Medio maris æstu quinas aut senas tantummodo altitudinis vlnas habet, singulisque annis fluctus gurgitem mutant. Quatuor istinc miliarijs ad Boream est Aimonta; portus bonus; appelliturque transuersim è mari. Est & ostium ad partem eius Orientalem iuxta litus. Ab ingressu locus est spaciosus & amplus, potestque Castromarinum & Aymontam nauigari, vbi in gurgite quinque vel sex orgyiarum, quocunque placuerit, anchora figi potest.

Miliarijs quinque ad Ortum, habes Ostium Lepense; quod singulis ferè annis locum mutat. Duobus istinc miliarijs ad Orientem, est ostium D. Michaëlis, quod transuersim è mari in D. Michaëlem ingredi potest: & inde nauigijs paruis vadum nauigari in Lepam aut Cartaiam, vbi optimum vinum dulce, seu Bastardum onerari potest.

Reddunt portus isti, Ficos, Oleum, Suber & Vina. Est quoque ad Lanis ingens piscium captura, qui per fretum Herculeum in omnes ferè ciuitates vehuntur, distribuuntur & venduntur.



3755

COSTA DO ALGARVE DE WAGHENAEER, 1590

Composto no Lisboa a 52 de Maio de Anno de Anvernia

de 14 de Outubro de 1993, lote 3755 por 2,229.93 DM / m

indicados no mapa